

**AUGVSTVM
IMMORTALIS GLORIÆ,
MAVSOLEVM,
ASCIAE KORYCINIANÆ,**

Virtute, & Meritis

ELABORATVM.

ET

In funere

ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. STEPHANI,

Comitis de Pilcâ,

KORYCINSKI,

Supremi Regni Poloniæ CANCELLARII,
Varfauiensis, Oycouiensis, Koualiensis, Rabstiniensis,
Volbramentiensis &c. &c. CAPITANEI,
magno omnium dolore, & desiderio extincti,

D V M

Cracouiæ ad Ecclesiam S. STEPHANI, in Auito Ma-
iorum Suorum Monumento,

Illustrissimæ Domûs KORYCINIÆ, & Nobilissimorum ho-
spitum vberes inter lachrymas minimâ sui parte conderetur,
ad conseruandam virtutum, & meritorum, maximi, & Amantissimi
Patriæ Herois perennem memoriam,

A.

M. STANISLAV IOSEPHO, BIEZANOWSKI Leopold.
Philosophia in Almâ Vniuersitate Cracou. Doctore,

PRÆSENTATVM.

Anno Domini M. DC. LVIII. Die 12. Septembris.

CRACOVIAE,

in Officinâ Viduæ Lucae Kupiß S. R. M. Typ.

In Stemma Illustriss: Domus
K O R Y C I N I A N Æ,



Sarmatici moritur dum CANCELLARIUS orbis,
Insolitos casus ASCIA mœsta super,
Inq; aciem conuersa suam: contemnimur, inquit,
Elusitq; ictus trux Libitina meos,
Sacrilægum mensura caput torrente cruento,
Ni domini summus me rapuisset amor,
Immensusq; dolor; quid? nùm fortissima vincar?
Totaq; funereis ficcine mergar aquis?
Imo sepulchralis rumpantur vt ilia diuæ,
Tentabo æternæ ponere molis opus:
Dixit, & Augusti condens monumenta sepulchri,
Ecce operis custos stat vigil ipsa sui.

Illustrissima, & Excellentissima Domina,
D. ANNÆ PETRONELLÆ,
de Gembicz

K O R Y C I N I Æ,

Regni Poloniæ CANCELLARIÆ,
Perillustribus, & Magnificis Dominis

PETRO, NICOLAO, CHRISTOPHORO,
Comitibus de Pilcâ,

K O R Y C I N I I S,

Illustrissimi olim, & Excellentissimi Domini,

D. STEPHANI,
Comitis de Pilcâ.

K O R Y C I N S K I.

Supremi Regni Poloniæ CANCELLARII,
Charissimis FILIIS.

Illustriss: Rndms, Perillustribus, & Magnificis Dominis,

D. IOANNI GEMBICKI, Epo Plocen.

D. ALBERTO, comiti de Pilcâ KORYCINSKI,
Præposito Miechouiensi, Canonico Cracouiensi,
Secretario Regni Maiori, &c.

D. STANISLAO, Comiti de Pilcâ, KORYCINSKI,
Capitano Gniewkowiensi.

D. ALEXANDRO, Comiti de Pilcâ, KORYCINSKI,
Pocillatori terræ Cracouiensis.

D. ACHACIO RAYSKI, Subiudici Oswiecimensi,
Ultimæ voluntatis Illust: Dñi Cancellarij Executoribus,
Dominis, Patronis, & Mœcenatibus Amplissimis,
S. & P.



QUAE M immaturâ morte, maturâ virtute, & gloriâ raptum,
suog. redditum principio doletis, alienâ hic facundiâ; proprio tamen
virtutum, & meritorum spiraculo, post funera spirantem Magnum
Republica habetis. CANCELLARIVM. Quantumvis enim ora-
ulum hoc cessasse quodammodo, nec responsa amplius consulentibus
lare videtur; ijs tamen nonnisi, qui ultra corporis sui molem, & id,
quod sentiri non assurgunt: habet tamen alias aures, habebitq; quibus loquitur, lo-
quere.


queturq; semper; habet oculos habebitq; in quorum conspectu nunquam non versabitur, quemadmodum nobiscum loquuntur hucusq; & conuersantur Magni Catones, Tullij, ZAMOSCII, OSSOLINII, quorum virtutem, & merita nouimus, quos in partem consilij absentes vocamus, quorum maiestatem veneramus, authoritati acquiescimus. Vita Magnorum Heroum, vita seculorum est, in quorum numero censerem non debent; nisi, qui post fata nouam gloria vitam incipiunt, diuq; in posteru, in literis in exemplo viuunt. Quid enim est istud viuere, quod circumscribi finiriq; potest? qui ita viuunt; non viuunt; sed trāseunt: qui ita lucent, nō lucēt; sed fulgurāt: qui post talē viā moriuntur, non excedunt; sed intereunt. Porro vita Magni Herois Nostri, magniq; amoris Vestri, in exemplum, & in aeuum formata, institutaq; breuiq; decursu maximos peruagata orbis, vita aternitatis fuit: nam eā lege, eōq; ordine disponebatur ab eo, semper, ut mortalitati minimum, plurimum immortalitati, imo omnia deberet, transmitteretq;. Cū verò immortalium spiritus tantò purior, tantòq; vegetior sit, quanto vinculis & obstaculis corporeis minus debet; Magnus hic Senator, qui, inter mortales vitam dum ageret, Maximis quibusq; vitam, & gratiam inspirabat, quomodo immortalitati adscriptus, minimam non animaret Suadam nostram? quomodo in os, mentemq; eius non influeret? qui non itā pridem vastum hoc Reipublicæ Polonæ corpus ceu vitales quidam spiritus informabat, qui minima, maximaq; complebat, belli, Pacisq; momenta, motūs, & quietis Publicæ interstitia librabat, disponebatq;. Nec decuisset profectò in Vrbe Regni Principe, ad latus Principis Regni Scholæ, Summum hunc, Suada Polonæ Principem, & Reipublicæ Atlantem, absq; gementis in fine suo Eloquentia spiraculis, & suspiriis mortalitati exceptum, immortalitati adscribi. Tam enim hoc portētosum fuisset; quā inauditum est, Almam Matrem Nostram, Magnorū Heroum immortalitati, & gloria, inuidisse unquam, quæ Viros Principes ab incunabulis, supra vulgus, & ea, quæ palpātur, sentiūturq; sapere docet, quæ illos mortalitati eximit, calo vindicat, & infert. Quid? quod magnā sui partem aternitatis cū hoc Clarissimo Heroe adscribendā nouit, in quo non lactis tantū eruditi, & educationis primitias, sed cibos quoq; solidos, & alimēta doctrina agnoscit, quæ cū in substantiam Aliti, hoc est immortalis animi trāserint; gaudet profectò aliquid sui in eo, immarcescibili laureā coronatum. At hac priuata sunt, & aliquid ex respectu trahūt; purus autem, ut amātium; ita & laudatū affectus, non ex suo cōmodo; sed ex alieno merito estimari debet. Satis est ad omnes laudes, & Panegyres irritādas, satis ad excitāda doctorū Virorum ingenia, meruisse. Et hæc omninō causa est, quæ me ad hoc augustū immortalis gloriæ Mausoleum, Magno CANCELLARIO erigēdum impulit; nempe, quod intelligere, omnes omnino Suadas, Magnum hunc Heroē ad Parērandū sibi ingētib; meritis obligasse; adeo, ut quidquid in hoc cōmune dolentū arariū dolorū & lachrymarū, quidquid in laudes, & Panegyres faciēdia, quidquid in Mausolei structurā artis & industria collatū est; non gratia aut fauoris: sed debiti, & necessitatis vim habeat; non alienū enim, sed suū requirit, qui quod meruit proficit, exactū etiam iuste, si spontanea esse nolint. Spontē itaq; & sūma meā voluntate, ad hoc, quod iusto debebatur accessi, Vobisq; primum quidquid hoc operis ASCIA vestra cōdidit, sisto, atq; præseō, ad quos amor, virtus, gloria, immortalitas Magni CANCELLARII spectat. Porro si hūc aliquid infrā Maiestatem erit, si meæ imbecillitati adscribetis, illi decedet nihil. Vt enim sol, ab omnibus æquē capi non potest, nihilq; illi accedit, deceditq; si infirmo, perspicacine oculo cernatur; ita Magni Herois huius splendor, & magnitudo, eadem sibi constabit semper, nec eius unquam intererit, a magnisne, an paruis tractetur? nisi quod a paruis, qui de suo nihil addere possunt, purius aliquid, & sincerius expectari possit. Quidquid autē hic à me præstitum est, Vestrum est illustrissime mentes, eo complecti animo, quo vestra soletis; nec aliquid in hoc MAUSOLEO aternum purare, quod vos quoq; eidem immortalitati non adscribat, cui cor & dimidium animæ vestra Magni Regni CANCELLARII adscriptus est; qui Vobis, si imortales esse videtur, hereditariam in literis, & literatos propensionem, quā ille summus esse meruit, in Mausoleo suo comi



AUGVSTVM

IMMORTALIS GLORIÆ

MAVSOLEVM.


MAGNA funera non esse, quæ lachrymis, quantumuis vberibus defleri possunt, si quis vnā mecum affirmaret; is demum mihi magnorum Virorum pretium nōsse, & ingentia Reipublicæ damna, quæ lamentabilem eorum occasum consequi solent, ad iustam consummati iudicij lancem expendere videretur. Quanquā enim lachrymæ doloris indicium habeant, habent tamen & solatij partem, adeo, ut, qui mærorem dolentibus augere voluerit, prohibere lachrymas necesse habeat, tanquā in lenimen quoddam exulcerati cordis effundendas. Multi sunt, qui vbi totum in madentes genas dolorem effuderint, cor ficcum, & omni nube vacuum gerunt; quorum vehementissimi affectus in nimbū collecti, vbi foras proruperint, sudum animi cælum, & imminenti gaudio liberum pectus relinquunt; quod ego non tam doluisse dixerim, quā inuitandæ sinceriori lætitiæ interiora mentium diligentius præparasse. Quod si solaminis aliquid lugentibus, concessa lachrymarum facultas adferre solet, ex hac si quis de magnitudine funerum, & Reipublicæ dispendio, iudicium faceret; aut si ad feralem vnam deiecto non nihil vultu, & rorantibus identidem oculis consistens, ingens aliquod posthumæ pietatis obsequium Clarissimorum Virorum memoriæ se impendisse crederet; tantūdem esset, ac si Protogeni, Polycletouē æternum aliquod elegantissimi operis Prototypon meditantis, laboriosam scalpello, aut penicillo semel admouisse manum sufficere iudicaret. Æternus amantium amor, dolorq; esse debet; non in lachrymis, gemitibus, & suspirijs, quæ desinere tandem etiam in verè dolentibus, solidèq; amantibus solent; sed in commendatione nominis, in æstimatione virtutis, in præmio

mio meritorum, in recordatione imitationeque posteritatis. Nec aliud profectò Magnum Sarmaticæ coronæ, Suadaque delictum, Os aureum Poloniæ; Ciuilis prudentiæ Corculum, togatæ gloriæ compendium, Regis mens, Regnique basis, Illustrissimus olim, & Excellentissimus Dominus STEPHANVS Comes de Pilcâ KORYCINSKI, Supremus Regni Poloniæ CANCELLARIVS Comes, VIR, in quo summa virtus, summaque fortuna vires suas experiri voluit; non aliud inquam funeri suo, quod inter maxima iure censei debet, optare potuit obsequium; quàm quod non exiguo vulgarique lachrymarum imbre circumscribitur; sed quod æterna potiùs virtutum, & meritorum commendatione, & ad posteros traditione continetur. Nouerat enim VIR, non tantùm experientiæ summæ, sed reconditæ quoque eruditionis cognitione instructissimus, & in exemplum posteritatis natus, spectacula hæc doloris Publici, & atratas lugentium cateruas, & sumptuosa Parij, aut Caristij lapidis mausolea, & quidquid oculorum explendæ fami quæritur, mortales esse immortalis animi umbras, solas verò, quæ in pectoribus amantium, & in optimâ hominis parte eriguntur moles, cum de immortalitate animorum multum participant, immortales esse; solas vetustate non absumi, loco non circumscribi, inuidientium malignitate non expugnari. Nouerat publicum Patriæ funus toties in Polonia Nostrâ, à Vespillonibus transmarinis, & reliquâ Libitinaræ facis colluue toties conclamatum, toties benignitate diuinâ, & fortissimâ Sarmatarum manu auersum, omnes omninò consumpsisse lachrymas; vixq; iam pugillum sanguinis restare, & hoc ipsum, si dolores recruduerint, per lachrymas egerendum; ac proinde illa sibi impendi nollet, qui minimam afflictæ Patriæ guttam proprij impendio sanguinis millies redemisset, cui dum fractus Sarmatiæ illabatur orbis, non impavidum tantùm; sed volentem, & cum Decijs Patriæ saluti se se deuouentem, fatigârunt primo, ac tandem oppresserunt ruinæ. Quid igitur? Ergonè luctum omnem ab his lugentium Comitij proscribam? Democritumnè, pro Heraclito introducam, aut pro Næarâ triumphum canam? Solusnè inter tot lachrymas, cum Tuas Illustrissima Domina PETRONELLA, de Gembice KORYCINSKA, Regni Poloniæ Cancellaria, Matronarum Decus, Magni Herois Consors mœstissima; tum Illustrissimæ Domûs, Prolisque mœstissimæ, ac insuper omnium Regni ordinum, Pauperum, & Orphanorum ingratum aridi cordis præferam argu-

men-

mentum? Minimè vero. Non est humanitatis disciplinas profitentium, omnem humanitatis sensum exuere, nec humanis casibus affici; imò verò dolor meus tantò vberior, tantòque copiosior erit, quantò non præsentia tantum; sed subsequenti quoque sæcula ad lachrymas prouocare cupiens, cæteris luctu iqualentibus solus architectam immortalitatis gloriæ ASCIAM Vestram æmulatus, Magno Reipublicæ Poloniæ Atlanti Orbi vniuerso spectandum erigere mausoleum conabitur. Atq; hoc quidem non citrà mentem, vt puto Vestram: amor enim nunquam otiosus est, molitur semper aliquid, gaudetque absentium, quos amauerat simulachris. Vestrum erit, si quid non affabrè, nec ad leges ASCIÆ Vestræ factum fuerit, magnitudini doloris imputare; qui quo syncerior est, tantò magis ex incomposito fluit, phalerisq; minùs, & ductis in speciem coloribus gaudet.

Multa quidem sunt, quæ doloris publici lachrymas irritare solent; nihil tamen est, quod obstinata etiam, & nullis peruiâ doloribus pectora grauius commouere soleat; quàm quod Optimos Patriæ ciues serò nasci, citò denasci videamus. Modicus plerumque vitæ breuioris circuitus, & exigui temporis grandis iniuria, Heroas Maximos aufert, quos integra sæcula expectârunt, & multa fortè non restituent; adeòque nullis magis inimicæ Parcæ insidiantur, quàm selectissimis hominum, & velut in obsonium quoddam Proserpinæ paratis; quod quanti doloris sit, sentiri quidem potest, dici non potest. Cum enim vt Vrbes, non mœnibus; sed Viris: ita & Respublicæ, non subactarum multitudine gentium, non prorogatis ad Euphraten, aut Gangem imperij finibus, nec triumphatâ cum Pompeio Magno Asiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberiâ insulâ, Cretâ, Basternis; sed Optimorum Patriæ Ciuium, & eorum qui magistratibus præsumt, multitudine, atq; præstantiâ constent; ingentis profectò doloris occasio est, quoties columnas has, Regnorumque Atlantes tolli videmus, quorum vices qui subeant onerique ferendo succedant, diu quæriti, rarò pares, superiores rariùs inueniuntur. Ingens Magnorum Heroum pretium est, quorum defectu maxima dilabi imperia; vbi abundauerint, minima in immensum attolli videmus: vt non immerito Magnus ille Naturæ Encomiastes Plinius, C. Curionis luxuriosam temeritatem, pensili theatro populum Romanum, Orbis domitorem, suspendentis, & in varias scænæ partes ingenti cum

A2

peri-

periculo circumagentis; ipsiusq; populi Romani tam infidæ
machinæ insidentis amentiam miratus, iusto furore excan-
deseens, in hæc verba proruperit; en hic est ille terrarum victor,
& totius domitor Orbis, qui gentes, & regna diribet, iura ex-
ternis mittit. Deorum quædam immortalium generi humano
portio in machinâ pendens, & ad periculum suum plaudens.
Quæ utilitas animarum ista? aut quæ querela de Cannis, quan-
tum mali potuit accidere? Hauriri vrbes terræ hiatibus, publi-
cus mortalium dolor est. Ecce populus Romanus vniuersus,
velut duobus nauigijs impositus, binis cardinibus sustinetur,
& seipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo
luxatis machinis. Quanto melius ille, qui vnicum seruati ciuis
caput tanti fecit, quanti integras hostium legiones cæsas,
non fecisset; Prouinciarum quoq; iacturam minimi facturum,
si Curij, aut Fabricij, aut Æmiliani, pretiosissimum Caput ser-
uandum fuisset. Dimidium regnorum Cleopatrarum Antonius
vnâ portione absorpsit; at quoties temulenta illa Vitorum de-
prædatrix Libitina, vno Magni Herois haustu totam imperio-
rum salutem decoxit! Magna est hæc Rerum publicarum in-
felicitas, felicitate suâ diu frui non posse; quandoquidem O-
ptimis Viris lex hæc posita est, vt gustum sui, non nisi experi-
mentumq; breue præbeant; fitq; illis, quod odoramentis pro-
prium, vt deficient toties, quoties alios reficiunt, exspirareque
potius malunt, quam alijs vitam & gratiam non inspirare. At
non profecit quidquam iurata in Optimos Libitinæ insania;
inuenit necessitati necessitas remedium; inuenit pretiosissi-
mum Elixir, non prorogandæ tantum, sed etiam in melius cõ-
mutandæ Magnorum Heroum vitæ; quando ijs, quibus spati-
um vitæ longius negatum est, longissimam in Mausoleis, Pane-
gyricis, fastis, eruditorum monumentis, famæ posthumæ
præconijs, memoriam procurauit. Ita olim Alexandros,
Epaminondas, Coclites, Scæuolas: ita VLADISLAOS
Varneses, STEPHANOS BATHOREOS, VLADISLAOS IV.
longiore vitâ dignissimos; ita VISNIOVECIOS, KORECIOS,
ROZRAZEVIOS, non ita pridem in herbâ raptos: ita Te nunc
quoq; STEPHANE, de Pilcâ, KORYCINSKI, Regni Poloniae
CANCELARIE, ad cuius feralem vnam publicas, priuatasq;
lachrymas mœsti congeffimus; ita inquam Te ex optimis ce-
lestrimè raptum æternitati asseruit, quando Tibi Mausoleum,
ASCIÆ Tuæ beneficio cœlotenus erectum, magnificè con-
stituit. Multi fuere quibus teste Senecâ diu viuere superfluum
visum

visum est; ô semihomines! an hominum portenta? vitam cer-
tè istis si venum exponere licuisset, tanti horam vnam, quæ nul-
lis vnquam Arabum gazis æstimari potuit, quanti ne cucurbi-
tam quidem vendidissent; sunt tamen adhuc qui illas vilius
æstiment, qui desides, & inglorij, diu sunt; sed diu non viuunt:
ex quorum numero ille quoq; ceteri debet, qui septem annis
se vixisse, reliquis, quibus longissimè vixit, se tantum fuisse
confessus est. O si ab Endymionibus istis, fruges consumere
natis, vitæ momenta, quæ illis frustra excidunt, velut pretio-
sissimas gemmas colligere liceret! nonne regiâ Darij arcâ ab
omnibus bonis exciperentur, prorogandæ Optimorum Patriæ
Ciuium vitæ? Fecisset hoc opinor cum Illustrissimâ Domus
Tua, tum Vniuersa Respublica, Magne, cui parentamus CAN-
CELLARIE; iuisset ad Sybaritarum, Narcissorumque delicata
tentoria, vitæ, quâ illi abutuntur seruandæ, & in Tuam anno-
rum seriem referendæ; imo si ab vno quoque nostrum, optimâ
vitæ portionem expetiuisset, certatim contuliffemus omnes,
dulceque fuisset, ad calcem vitæ sine canitie peruenisse, modo
Te Respublica canum, & niueum tam senio, quam Suadâ Cy-
gnū intueri, & serò cælis reddere potuisset, hem qualem, quan-
tumque VIRVM! Nam vt quantus tandem fueris, ex pollice
Tuo, cum toti Tibi dicendo, altero KORYCINIO, Suadæ Po-
lonæ delicio, opus sit, Te metiri incipiam; particulamq; Tui
emensus, ad reliquam Tui magnitudinem tacitâ cõsideratione
assurgam, in Gentilitiæ ASCIÆ Tuæ tersissimam faciem ocu-
los primo defigens, relucentes in eâ Maiorum TVORVM ima-
gines, breuissimè contemplanor. ASCIAM in Regno Nostro
Magnarum Stirpium Parentem, Vetusissimorum Stemmatū
facile Principem, efformandis Optimorum Ciuium, dedolan-
disque mentibus cælitus destinatam, Antiquissimæ illi, quæ
fabuloso partu, sapientiæ Deam parturienti adfuit Joui, meritò
anteferendam, PILECIÆ quoq; & KORYCINSCIÆ Domūs,
non basim tantum & fundamenta; sed ipsam quoq; struxisse
altitudinem in confesso est. Ire per singulas splendidissimi ope-
ris partes, nec temporis, nec instituti mei est; prominentibus
tamen, & in edito positis, & suapte occurrentibus, admirabun-
dum non commodare oculum, propè inhumanum est. Nam
cuius quæso oculos animumq; non perstringit, ANDRÆ
PILECII, ZEGOTÆ Palatini Cracouiensis Filij, Viri suâ æ-
tate inter Viros Senatorios facile Principis, clarissimus virtutis,
& generis splendor? quem cum Maiorum suorum, tum pro-
pria

priæ quoq; dignitatis Amplitudo, & fortunæ Indulgentia, eò
vsq; extulit, vt ELIZABETHAM GRANOVIAM, ex Fratre
Neptem, VLADISLAO IAGELLONI, Regi Poloniae, rarâ fe-
licitate nuptam viderit, qui ASCIAM, quam à Maioribus lau-
reatam acceperat, Regio diademate ad posteros transmisit co-
ronatam. Quem in admirationem non rapit IOANNIS de
Pilcâ KORYCINSKI, IANVSSII Filij, Castellani Sendomiri-
ensis, qui primus ex Comitibus de Pilcâ KORYCINII nomen,
à dilectâ Sede KORYTNO accepit, admiranda in posteris feli-
citas? à quo, non interruptâ serie ingens VIRORVM Senatorij
Ordinis Palatinorum, Castellanorum, Summorum belli, pa-
cisq; Præsidum numerus profuxit, in quorum laudibus, si
multum esse vellem, ingentes animas in angustum Suadæ meæ
caterem compingere attentarem; sileri tamen non patiar VI-
ROS, qui Pythagoræ quoque silentiū rupissent, NICOLAVM
nempè Comitem de Pilcâ KORYCINSKI, Magni CANCEL-
LARIJ Nostri Auum, non Virum, sed virtutum omnium com-
pendium, cui post ingentia merita, ob eximiam incorruptæ
mentis integritatem, & animum, cuiusque muneri Publico
patem, Supremi Regni Poloniae Thesaurarij munus Amplissi-
mum vterò honorificè delatum erat; quod tamen ab eo magno
& constanti animo recusatum est, à Viro nempè, qui nouerat
quæsturas omnes bonarum mentium naufragia esse, & nun-
quam tam sacrosanctè curari, quin iudicia, crisesque omnium
incurrant, & aliquid de injuriâ trahant. Magnum quoque il-
lud togatæ prudentiæ oraculum, Legatorum Regni nostri exē-
plar, ditissimum Magni Consilij penu, CHRISTOPHORVM
Comitem de Pilcâ KORYCINSKI, Castellanum Woynicen-
sem, Gniewkowiensem Præfectum, Magni CANCELARIJ
Nostri Patrum Dignissimū, ingrati filij veneratione prose-
qui nefas est, qui Cyneas, Papyriosq; prisca æui imitatus, cum
ad sedandos ciuiliū bellorum tumultus; tum ad obeundas
ex voto Reipublicæ maximas Legationes, cælitus quodam-
modò concessus esse videbatur; quandoquidè splendidissi-
mas, ad IOACHIMVM FRIDERICVM Electorem Brande-
burgicum, ad CHRISTIANVM Saxoniae Ducem, ad Archi-
duces Austriae, ad MATTHIAM Romanorū Imperatorem
geminas, ad PHILIPPVM deniq; III. Hispaniæ Regem in
grauissimis Reipublicæ negotijs, Legationes, eâ dexteritate,
prudentiâ, grauitate, Eloquentia, felicissimè obiuit; vt ab ex-
ternis Regibus non summo tantum in honore haberetur: verū

eti-

etiam in exemplum quoddam Legatis omnibus proponeretur,
rediretq; semper priuilegijs, & honestamentis amplissimis do-
natus. Nec dissimilem huic ANDREAM, Comitem de Pilcâ,
KORYCINSKI, Castellanum Vislicensem, verèq; Germanum
ætas nostra vidit, qui ob insignes excellentis animi dotes, &
spectatam toties in functionibus Publicis dexteritatem, inter
Carissimos SIGISMVNDI III. REGIS habitus, priuatâq;
ab eo Legatione ad FERDINANDVM II. Cæsarem Augu-
stum perfunctus est. Quem vero TE dicam NICOLAE Co-
mes de Pilcâ, KORYCINSKI, Castellane Sandecensis, Magni
CANCELARIJ Nostri Parens Felicissime? quâ TE Virum
Eloquētissimum, Eloquentiæ Maiestate, & vbertate extollere
contendam? qui masculam illam, & ad summa natam indo-
lem TVAM, Martialibus primū studijs CHOCIMENSI con-
tra Osmanum Turcarum Imperatorem bello; pacatis deinde,
& Ciuilibus postquam consecrasses, eam prudentiæ, & diser-
tissimi oris consecutus eras gloriam; vt, non tantum Nunciij
terrestris absque numero, Nobilissimis perfunctus sis officijs;
verum etiam victrici Suadâ TVA, & autoritate, quâ in Co-
mitijs Regni Generalibus plurimum semper valebas, inuictum
SIGISMVNDI III. REGIS animum triumphaueris, eòque de-
duxeris; vt rei nummariae curam, & prouentus omnes Reipu-
blicæ condonaret; de re quoq; literariâ Academiae Cracouien-
optimè meritis, cui jam jam labenti auxiliarem manum sup-
posuisti, & vt ab Ordinibus Regni impensius, salus, & integritas
ei⁹ curaretur, efficacissimo studio procurasti. Non cōmemoro
hic LEONARDVM, NICOLAVM, IACOBVM, MAXIMI-
LIANVM Comites de Pilcâ KORYCINSIOS, deuota Marti
pectora non Sarmaticis tantum, sed Hungaricis quoque castris
notissima, nec in vestras, ALEXANDER Palatine Rauensis, AL-
BERTE Præposite Generalis Miechouensis, Secretarie Regni
Maior, STANISLAE Castellane Becensis, SAMVEL Pocilla-
tor terræ Cracouensis, Comites de Pilcâ KORYCINSKI, vir-
tutum, & meritorum gloria Viri Illustrissimi, laudes assurgo;
non produco denique BARBARÆ PVKARZEVIAE, Magni
CANCELARIJ Nostri Matris Pientissimæ, feracissimas Ma-
gnorum Virorum SRENIAWAS; nec auitum, materni generis,
decus, ROSAS GRVSZCZYNIAS, Gnesnensibus tiaris, &
Primatialibus mitris coronatas: cum singuli splendores hi, sin-
gulas Panegyres poscant, iamq; mihi ingens magnitudo Herois
Nostri incumbat, ad quam integris Eloquentiæ Viribus opus
est.

B 2

est. Quidquid enim haecenus de TVIS Magne CANCELLA-
RIE dixi; Tuum quidem est; sed quod TV TVVM minimè
dixisses, nisi Tua, imò Te ipsum vniuersæ Maiorum Tuorum
gloriæ compendium. Vetusissimis Domûs TVÆ ornamentis
adiecisses; nisi fellas curules, & infessa Maioribus TVIS Pu-
blica subsellia, Tu quoque insedis; nisi captam ab ipsis felici-
tatem, felicius continuâsses. ASCIAS, ROSAS, SRZENIA-
WAS, inter Tuorum decorum primitias non numerâsses; nisi
tersiores, fragrantiores, pleniores, quàm à Maioribus acceperas,
pösteris transmisisses. Tunc Tuum putas? quod alijs, vt sui
non sint, vt in vtramque aurem dormiant, vt speciosa nequitia
sua vela prædant, vt tantò liberius, & liberalius peccent, oc-
casio est? Tunc sudoribus Maiorum Tuorum acquiris? qui
sudare alios prohibent, & in desidia lethargum conijciunt.
Tuam putasti Maiorum gloriam; sed quemadmodum Pictor-
es, elegantissimæ picturæ quod imitentur Archetypon: Tuam
putasti; sed quemadmodum Miltiadis Themistocles, quæ æ-
mulatus est trophæa: Tuam putasti; sed quemadmodum Ale-
xandrum Macedones Asiam triumphaturi: Tuam deniq; puta-
sti; sed quemadmodum Iulios, Pompeios, Augustos, Traia-
nos, Constantini, Iustiniani, Heraclij, Caroli, quorum vestigia
sequuti sunt, putâvere suos. Plurimi sunt, qui imagines maio-
rum, & statuas ostētui habent qui tūm maximè stantes in cur-
ribus Æmilianos, & Curios iam dimidios in Curiam trahunt,
cūm aliquid, vel immeriti ambire volunt, vel imperiti; non
malo sanè consilio, si aliquid Æmilianum haberent; sed cūm
tantūm ex illis plerūmq; habeant, quātūm silex ex aqua; quæ
dementia est? Rempubliam cogere, vt viuos neghgens,
solas mortuorum statuas semper coronet; cūm ignaui Prone-
potes, & Atauorum statua parūm differant; nisi quod statua
sine spiritu; viuam tamen Maiorum virtutem, & immortalem
gloriam spirent; illi, ne spirent quidem, nisi quotiès alieni sudo-
ris messis colligenda est; qui, velut Carbasæ nauium, in sublime
tolluntur, & variè instantur; sed alienis manibus, alieno vento.
Alia mens, aliud Magno Cancellario Nostro ab ineunte ætate
consilium fuit, qui in alto Vetusissimæ, & Senatoriæ stirpis
culmine editus; talem se tamen credidit, quasi in decliui, & ad
ipsas sublimium Plantas constitisset; eam sibi laborum necessi-
tatem indixit, quasi vnus ex illis esset, qui ab imâ valle obscuri
generis, ad fastigia, nobilissimi Sanguinis Heroibus parata, cō-
tendunt. Nam vt primūm ex complexu Parentum, & indul-

gen.

gentiâ primæ ætatis excessit, & Almæ Academiæ Cracouien-
bonorum ingeniorum Altricis felicissimæ, eruditissimæ complexi-
bus exceptus est; tam domesticæ; quàm exoticæ post hæc Pal-
ladi totum se addixit; nec, qui plerisque mos est, tantūm de li-
teris, quātūm de muscâ araneus, quātūm cicada de fonte
hausit; sed cūm ob ingenij nobilitatem, & nitidissimam men-
tis aciem; tūm ob indefessi laboris & sedulitatis admirabilem
constantiam, maximos, in ijs potissimūm disciplinis, quæ Vi-
ros Principes decent, progressus fecit: eumq; semper deinceps
toto vitæ suæ decursu literarum gustum habuit, eam recondi-
tæ eruditionis consequutus est notitiam, vt cūm eruditissimis
de literatæ gloriæ præstantiâ certare potuisset. Quidquid olim
vetustas in Mithridate, qui Platonis imaginem Athenis dedi-
casse legitur: in Artaxerxe, qui Hippocratem Medicorum
Principem, literis, & impensis Magnificis ad se euocauit: in Al-
phonso Aragonum Rege, qui Nasonem mortuum pluris fe-
cit, quàm Aprucij dominatum. Caietam verò oppugnaturus,
saxa, & tormenta, quibus vehementer eo tempore indigebat,
ex viciniore agro depromi iussit, sed vbi villam Ciceronis esse
intelligeret, malle se, inquit, tormentis nunquàm vti, quàm
eam villam violare: amoris in literas, & literatos experta est
totum hoc in Magno Cancellario Nostro, ad amissim expres-
sum vidimus, qui vniuersam eruditionem cūm viris eruditissimis
eo semper in loco habuit, quo carissima solemus; quo Alexan-
der Ephestionem, Augustus Mecænatem, Scipio Ennium,
Vespasianus Plinium, Philippus II. Hispaniæ Rex Cardinalem
Granuellanum habuit. At vnde tanta doctrinæ sitis? tam addi-
ctus inter maxima Reipub. negotia in terris literis animus, à pri-
mis (vt aiunt) vnguiculis; à prætextâ in sinu Palladis felicissimè
depositâ, ab exterarum gentium lustratis regionibus, visisque
earum; non tamen assumptis nisi probatissimis moribus, ab
Italiæ delicijs, masculâ virtute spretis, traductoq; in optimam
prudentiæ partem, quidquid optimum alieno sub sole nasci-
tur, aut obseruatur à peregrinationib; Magnanimitate Polonâ,
nō peregrinâ leuitate susceptis, cōfectisq;. Multi vellus aureū
cūm Iasone in Phrygia terrisq; exoticis quærunt, qui flammeos
boues non cogitant, qui artem cūm eis pugnandi ignorant. O
quàm multos igniuomæ fauces istæ adusserunt! quàm multos
vellus istud decepit! quorum non pauci cūm Argonautis pro-
fecti, cūm Opilionibus redi ère; desiderati non pauci, qui peri-
culo suo aliorum pericula præuenerunt, qui cūm Medæas non

C

præ-

præcauet, cum loqui possent, grunnire maluerunt. Non latuit
Magnum Cancellarium Nostrium vellus aureum omnigenæ
prudentiæ, quod apud exteros quæritur, sobrijs tantum, & ex-
cellis mentibus paratum esse; hinc ignes si quos ibi inuenit, a-
uerso pectore, aut spreuit, aut elusit, solum virtutis honestissi-
mum ignem patulo corde excepit, Venenatos dentes euasit
vellus rapuit, Proram, & puppim seruauit; ita apud exteros sine
noxâ conuersatus, vt gemmæ, in mari quæ aquam non sentiunt,
rosæ in spinis, quæ nec lædunt, nec læduntur; vt Carbūculus
in flammâ qui ignem spirat, quem non sentit. Vnde factū est,
vt longè adhuc a Patriâ positus, solis instar radios ante ortum e-
mitteret, excepturæq; Amantissimum Ciuem Patriæ, vota &
desideria in immensum attolleret. Redijt tandem post peragra-
tas felicissimè vicinarum gentium oras, inuenitq; famam no-
minis sui, quæ optimos quosq; velut Balsamum gratissimus o-
dor præcedere solet, omnia complentem, & in amorem sui, ac
venerationem cuncta trahentem. Inuenit Patriam, sub Victo-
riofissimo Regum VLADISLAO IV. in alto felicitatis culmine
positam, Viris, & opibus florentem, longissimæ pacis beneficio
cæteris Europæ Regnis beatiorem. Ergo in florenti Republicâ
floridus & ipse, Magni Parentis vestigia sequutus, totum se splē-
dori, & vsui publico dicauit, Virisq; mox in Republicâ Maxi-
mis consuefcere, leges & arcana Patriæ intimè nôsse, Publicos
Equestris Ordinis Conuentus frequens adire, recta in Commu-
ne consulere, Eloquentiæ vires experiri, atq; ita summus pau-
latim, & functionibus Publicis per quàm idoneus haberi, & ef-
se cæpit. Augebat illi amorem, & venerationem omniū mirara
in eo interni, & externi hominis Symmetria, augustum in vul-
tu decus, frontis, & oculorum iugis serenitas, oris & Eloquen-
tiæ Maiestas, animus consilijs promptus, factis efficax, ad su-
bitanea impavidus, in aduersa paratus, celer, agilis, constantiæ
tamen, & grauitatis vbiq; amantissimus. Placebat tum omni-
bus in eo Catholicæ fidei zelus feruentissimus, hæreseos impla-
cabile odium, boni Publici amor, pectus simulatione vacuum,
conseruandæ Reipublicæ, & prisæ legum obseruantia ingens
solicitude; quapropter dignus visus est, cui Centuriatis eque-
stris ordinis Comitij, Nuncij terrestris munus Amplissimum,
vicibus plus quàm vicenis committeretur, quod ille alacri sem-
per animo, amore Publici boni susceptum, incorruptâ fide, &
succesfu felicissimo semper obiuit, & cum amores omnium,
tum authoritatis quoq; maximum pondus promeruit. Vellem
hic

hic mentes Vestras altiùs attolli, & cum liberæ sint cogitationes
nostræ, in retroacti temporis memoriam non nihil redire, vt au-
gustum illud Eloquentissimi Viri in Publico Ordinum Regni
Conuētu dicentis, dulceq; spectaculum oculis veluti subiectū
intueri, & admirari possetis. Cogitate apud animos vestros
quidquid de Isocrate, Hipperide, Cynçâ, Catone, Tullio, maxi-
mum in Eloquentiæ Maiestate cogitare potestis; nihil inuenie-
tis profectò, quod in Magni Cancellarij Nostri oris dulcedine,
& grauitate, verborum apparatu, & delectu, pondere sententi-
rum, actionis, & præsentissimi vbiq; animi dignitate, viuis ex-
pressum coloribus non apparuerit. Spirare mihi adhuc, & in-
flammas mentes, concussa, & triumphata pectora, quaqua
versum ducere, & inclinare videtur, dum de Reipublicæ salute,
& integritate, de imponendo ambitioni fræno, de rapinis mi-
litum cohibendis, & vindicandis, de leuandâ subditorum op-
pressione, de Machiaueli artibus proscribendis, & reducendo
Polonorū antiquo candore, de maturando labenti Patriæ sub-
sidio, in sole, facieq; Reipublicæ, plenus maiestatis, & Autho-
ritatis differit; dum totus in eo est, vt se verè Senatoriæ stirpis, &
Amantium Patriæ filium genuinam sobolem esse probet. Nec
poterat tanta virtus, tanta Viri dignitas, intentum in omnia
Prudentissimi Regis VLADISLAI IV. effugere oculum; qui
cum eum ad summum natum, & in maximum quondam Reipu-
blicæ Atlantem assurecturum præuideret, terræ Cracouiensis
Dapiferi, & Præfecturæ Oswiecimensis amplissimo honore di-
gnatus, vt altiora petendi cogitationem in animum induceret,
occasionem, & alimentum Virtutis præbuit. Tenuit quoq;
tunc, & possedit summorum Reipublicæ Præsidium Sacri, &
Profani Ordinis excelsas mentes; ac in primis Illustr: Domus
GEMBICIAE, cuius tunc res Florentissimæ erant, & ad quam
ille mirâ quâdam animi propensione vnicè semper ferebatur.
Itaq; cum vitæ sociam, Sacris Connubij vinculis iungere sibi in
animum induxisset, Candidissimum Fasciæ GEMBICIANÆ
vinculum ad id potissimum elegit, per quod Nobilissimæ stirpi
& viris in Republicâ Primarijs cõiungeretur; ipsis quoq; Gem-
bicijs Clarissimus, & expectationis maximæ Gener futurus.
Quem enim non traxisset in amorē sui illud animi innube cæ-
lum; illa oris facundi gratia, Gratiarumq; sedes, illud iudicij
pondus, illa heroicæ magnanimitatis celsitudo, ille virtutis a-
pex? Tantus itaq; cum esset, cunctaq; in augmentum felicitatis
suz traheret, traxit quoq; Augustissimum Gembiciani ne-
xus

xus splendorem, & cum eo ingens quoddam virtutum & meritorum volumen; quando felicissimis auspicijs ANNAM PETRONELLAM, Illustr: olim STEPHANI GEMBICKI Palatini Lenciciensis Filiam, Illustrissimorum, & Rndissimorum DD. PETRI Cracou, ANDREÆ Luceorientis, IOANNIS Plo-censis Antistitum, & CHRISTOPHORI Castellani Gnesnensis, GEMBICIORVM ex Fratre Neptem, pietatis, modestiæ, grauitatis, prudentiæ, amoris Coniugalis speculum, Antiquissimæ Maiorum suorum gloriæ, virtutumq; omnium fasciam, & cõpendium, sacro æterni amoris fædere sibi iunxit; cum quâ vitæ dies suauissimos incipiens, altas de promouendo bono Publico cogitationes non remisit, imo totum se Reipublicæ donare, & saluti eius salutem propriam oppignorare votis ardentibus exoptabat. Nec enim erat ex numero illorum, qui cum vinculis Connubij, desidiæ quoq; compedes induunt, qui cum Hercule clauâ positâ Joles stamina ducunt, qui terram glebasq; solas cogitant, Patriam nec sciunt, nec amant, nec curant, nisi tantum, quantum eorum agri vel prædia patent; susq; deq; verti omnia, labi, dilabiq; omnia in regimine publico sinunt; modo vomeres, & agri salui sint. Nec ex illorum quoq; numero, qui generosissimum spiritum sordidissimis oculis suffocant, qui possessionibus & latifundijs inhiant, qui aliquid semper de iniuriâ vicini trahunt, litibus fora complent, annonæ caritiam vnicè colunt, Iliade totâ aceruos premunt, & hoc inter Optimi Ciuis munia computant. At vero Magnus CANCELLARIUS Noster, cum non sibi, sed Patriæ se natum esse, fortunaq; suas tum demum sibi optimè successuras esse, si de eorum integritate, restituta Patriæ integritas aliquid detraxisset, putaret; pusillanimes Euclionum, Narcissorumq; detestatus umbras in solè theatrumq; Reipublicæ prodijt, tantoq; impensius necessitatibus publicis se addixit, quanto magis sublato Achille, Scipioneq; Sarmatico VLADISLAO IV. Req; Publicâ in maximum discrimen coniectâ, succumbens calamitatibus suis Polonia, Viris & Consilij egere cœpit. Cum enim in viscera Regni Cofacici belli tēpestare effusâ, auulsaq; Rusiæ maximâ parte, externâ, domesticâq; manu Patriam immanissimè discerpi videret; tanquàm genuinus, & Amantissimus Patriæ Filius, vices eius dolens, & tenerrimo corde sentiens, quidquid ex Heroico sanguine de ductæ virtutis, & Magnanimitatis, quidquid consilij, & industriæ, fortunarumq; habuit, totum id, & seipsum labentibus Patriæ rebus deuouit; cumq; alias, tum ad Bereste-

cum maximè Serenissimi REGIS, IOANNIS CASIMIRI vitam, & salutem propriam, regiumq; caput pro salute Publicâ secundò iam deuouentis, lateri adhærens, intimorumq; Consiliorum Particeps factus, ingentis animi, magniq; consilij insignis specimen dedit, Nobilissimæq; illius victoriæ ob saluberima consilia pars magna fuit. Pretiosis monilibus, & affabrè factis, quoties à longè habentur, pretium quidem aliquod, gratia nulla est; cum subtilissima, quæ in illis conduntur, artis mysteria, si eminus cernantur, nec cognosci, nec æstimari possint, quoties verò sub aspectum, & ad manus veniunt; tum demum apparet, quàm affabrè facta, quot gemmis distincta, quo ingenio cælata, quoue loco digna sint: non aliter summi quoq; Viri, qui multum de præcellenti ingenio, de iudicij, prudentiæ, constantiæ, dotibus, de impauido, & præsentissimo in periculis animo, de solidâ virtute, & probitate habent, maximo suo, & Reipublicæ damno à longè habentur; quod si in apricum solemq; prodeant, gustumq; sui, & experiētiam dent; tum demum & sibi, & Reipublicæ pondus, & pretium addunt. Ex horum quoq; numero Magnushic Heros Noster erat, quo cum felicissimè actum est dum ad latus Principis, ipsoq; in conspectu positus, tantum iudicio, eloquentiâ, consilio, integritate, constantia valeret, quantum naturæ, artiq; deberet, quàm animum tantis muneribus parem gereret, abundè probauit decretusq; huic monili pretioso, cum Regiâ, tum Reipublicæ quoq; voluntate, in ipso pectore, cordeq; Regio in ipso arcu norû Patriæ Sacratio locus; quâdo illi Sigillum Regni minus, cum Amplissimâ PROCANCELLARII Regni dignitate honorificè delatum est. Peccare hic mihi in recentissimam omnium memoriam, & iudicio communi detrahere viderer, si quâtus in hoc munere fuerit, quàm magnus, quàm incorruptus, quantus legum, & Iustitiæ vindex edisserere, aut ex sententiâ mea aliquid decernere attentarem. Egone Facundissimi Viri os aureum; Prudentissimi, mentis aciem nitidissimam; Consultissimi, sana, promptaq; consilia; Zelantissimi, Patriæ amorem; Constantissimi, inuictæ mentis robur, modicis Eloquentiæ viribus consequi me posse præsumam? Egonè in Senatu, rostris, Curiâ, summâ cum felicitate præsidenti, cum dignitate assistam? timeo hic certè Phormionis coram Annibale delirium, Apellis in Picturæ Censores sarcasmm, graculi inter luscinias, Mæuij, inter Marones notam. Quod si tamen tentandum est aliquid, ne vbi maximis Eloquentiæ Viribus opus est,

ibipenitus obmutescam, malo sigilli Maioris maximâ luce circumfundi, vbi si aliquid fortè ex me caliginis fuerit, Supremi Regni Poloniae CANCELLARI. Clarissimus splendor, immenso quodam lumine absorptum, non excusabit tantum; verum etiam illustrabit, commendabitq;. Ac in primis multos ego quidem insigni, & rarâ felicitate cæteros mortalium excelsisse legi, inter quos tamen felicitati Magni Cancellarij Nostri locus is semper erit, qui solet esse maximis. Magnum est Metellum Macedonicum, à quatuor filiis illatum rogo, vno Prætoris, tribus Consularibus; magnum est, Pompeium Africâ totâ subactâ, Magniq; cognomento, inde, ceu spolio amplissimo capto, Equitem Romanum (id quod antea memini concessum erat) curru triumphali reuectum esse belloq; Ciuili extincto, iterum triumphales currus equitem Romanum toties Imperatorem, antequam militem, induxisse: at nescio quo pacto maius mihi, & sublimius esse videtur Magnum CANCELLARIUM Nostrum, Florenti ad huc ætate, vtriq; Sigillo Præfectum, summa omnia, vno maximi honoris sinu complexum, negata Clarissimarum quoq; stirpium Magnis Heroibus felicitate, quibus, post ingentia merita, post effusas in propugnandâ, ornandâq; Patriâ opes, post fœdera toties cum externis Principibus pacta, eod culminis, & fecilitatis, ne aspirare quidem licuit, vniuersæ felicitatis brauium comprehendisse: quantum vero illud, quod voce, sensuq; communi, felicitatem tantam fastigium virtutis KORICINIANÆ decuisse, dignaq; omnia tanto Heroe, & si quæ maiora inter summos munerum Publicorum Vertices dari possent, esse iudicata. At esto sanè fuerit hæc rara & singularis CANCELLARI Nostri felicitas; non tamen indulgentia fortunæ; sed virtutis meritum, & meritorum corona fuit. Fortunam ille maximam non inuenit, sed meruit; non accepit, sed fecit; non dominam, sed pedisse quam habuit; ita sudauit, ita muneri suo incubuit, ceu nunquam venturam speraret; ita venientem excepit; ceu expectasset nunquam: cum enim solidissimus in se esset, fortuitis nec attolli, nec deprimi, nec crescere, nec decretere potuit vnquam. Solis, & syderum citatissimos cursus esse nouimus; quorum tamen ortus, & occasus lentos, ac penè desides videmus quod cum per vastissimos circuitus ferantur, longissimèq; à nobis absint, pernicitas eorum nec sentiri, nec concipi potest; contra verò quæ in proximo sunt, rapidissimè ferri videntur, cum spatij minus cõficiant. Nec dissimili certè cursu Illustrium Virorū sydera in

orbe

orbe Ciuili feruntur quæ à nobis, qui longissimè absumus, si fortè in Magistratu quopiam moram non fecerint, parum confecisse putantur, cum interim immensa spatia absoluerint, negotiaq; consummauerint; quandoquidem illis dispar est cursus ratio, ab his, quos modicus fortunæ, & curarum circuitus ambit: hi enim parua diu; illi maxima citò felicissimè peragunt, & Orbes suos absoluunt: quod Magno quoq; Heroi Nostro contigit, qui in Amplissimo Sigilli Minoris circuitu breuissimè moratus, Supremi Regni Poloniae Cancellarij celsissimum apicem obtinuisse, sine cursu, & spatio visus est; cum in aded turbulentis Reipublicæ Nostre rebus, inter tot infida demesticorum, & externorum hostium, in tantâ Magnorum Virorum strage, ob idq; curarum immensitate quadam, vnicus muneris eius circuitus, annuos cæterorum vicerit Zodiacos. Quid? quod dispensatrix illa, & gubernatrix Regnorum, Supremi Numinis Prouidentia, quæ collapsuris imperijs viros inclytos iustè aufert, quos surrecturis benignè restituit, quæ fellas curules, & Regum solia, Cœlestis custodiæ maioribus vallat excubijs, quæ merito nostro, bonos multiplicat; demerito malos Ciues patitur, cum fatali bellorum motu Orbem Polonum, grauius quam vnquam alias concutiendum præiuderet; talem potissimum instanti necessitati Atlantem destinabat, qui integris viribus, floridâ ætate; floridiori tamen, & augustiori animo imminentem procellam, quæ ipsos quoque OCIESCIOS, KRISCIOS, ZAMOSCIOS concussisset, sustinere, & auertere posset. Vt enim dicam liberè quod sentio, tēpestas hæc, quæ genuinos Patriæ, & degeneres filios ostendit, quæ Cedros Libani concussit, quæ fidem multorum exstinxit; Viri profectò incorrupta fide, præsentissimo animo, constantissimo pectore, & vitæ propriæ in mille pericula spontaneâ oblatione Clarissimi, operâ, consilio, Magnanimitate, fidelitate, indigebat. Quale enim illud, & quantum erat, quod nobis à funestissimâ Scytharum, Cosacorumq; ad ZWANIEC conuiratione imminebat, quantum tum fessæ Patriæ, Principisq; iterum labor! quantum anteactæ calamitatis iterum horror! quantum difficultatum, & quàm perplexus nodus! nisi Magni CANCELLARI Nostri ASCIA, Scythico Cosacicum fœdus dextrè admodum, & ingeniosè rupisset, scidissetq; inique cum Scytharum Principe fœderis, fortissimum deinceps Reipublicæ Nostre fulcrum Nobilissimum opus struxisset, & cõsummasset. Successere post hæc, expertura Viros, & vires Poloniae, illa-

D 2

dem-

demq; malorum nostrorum consummatūra tempora, quando vnicum Poloniae caput, plura quam Coelitis, aut Sceua umbonem, Suetica, Moschouitica, Cosacica, Transsylvanica simul petebant iacula; quando ad efferendum Patriae funus à Septentrione, Oriente, & Austro, Vespillones, Harpyiaeq; cōuolarunt; funus autem qui plangerent, qui deducerent ciues Oecidētē totum compleuerant, quando Maiestatū locus defuit, qui cædibus, sanguini, rapinis, incendijs non defuit, quādo consilia cum Consultoribus, oraculāq; Publica defecerant; quando deniq; Poloniae ipsi in mediā Poloniā ne peregrinari quidem licuit; tempora, inquam funesta, anteaetis sæculis inexperta, nostris desperata, sequentibus horrorem, & stuporem incussura. In hoc tam præcipiti, ancipitiq; rerum statu, in hoc Poloniae Euripo, inter hos fumantis Trojæ lamentabiles casus, qui Aeneæ Pijssimi, Fortissimiq; Patrem, Patriamq; & reliquias Ilij, proprijs humeris ferentis officium maximè expleuerat, Magnus hic CANCELLARIVS Noster fuit. Incomparabile prope est, dictuq; impossibile, quanta tunc Herois Nostri, virtus, quantum in Patriam, & Principem amor, quanta teneritudo viscerū eius, quā intima compassio fuit, quā infomes noctes, & quā continuæ curæ, quanta in erigendis spebus Publicis, in foederibus externorum Principum, aut conseruandis, aut inuendis dexteritas, & sollicitudo. Horologij Patriæ in vultu eius, & animo indicem quendam vidisses; ita ad singula momenta ictusq; illius cōmouebatur; ita illi in Principe ubiq; assistebat; ita motus eius, & minimos Spei exortæ radios obseruabat. Testem appello fidem publicā, & eos, qui ex Carissimis, Fidelissimiq; Serenissimi REGIS Nostri fuere; fateantur Cedis incidēdum perennibus, quā magno, & quā constanti animo, quā in omnia parato, quā supra fortunam ærumnosā Poloniae, erecto, & eminenti, inter ambigua, periculosa, aspera, infida rerum, & mentium, Principi Nostro adhæserit, Optimi partes Consiliarij, & Patriæ Patris quā ad impleuerit, vices quā vicerit omnes, & semper commutārit in bonas. Atque hic mihi nē infinitus sim artificium eorum imitandum est, qui vastos Oceani ambitus breuem intra tabellam compingere cum non valeant, extremos littorum fluctus accuratius exhibentes reliqua vastitati, & immensitati suæ commitunt; nam & ego reliqua, quæ Panegyres, & mētes capacissimas poscunt, suæ magnitudini, & Maiestatī, quæ hic capi non potest relinquens, portum, & marginem vitæ, ex quo de cæteris iudicium

erit

erit delineabo. Nonnemo ex Illustrioribus, Romanæ vetustatis Heroibus, dum Vestæ statuam ex incēdio, medijsq; flammis raperet, oculos amisit; sicq; ad Macedonici triumphale nomē, triumphum quoq; religiosæ (vt putabat) fortitudinis addidit. Quanto id iustius, veriusq; Magno Cancellario Nostro adscribi debet, qui dum ex incendio publico religionem, & Patriam rapit, dum per flammās, & mille bellorum discrimina cum hoc carissimo pignore eluctatur, non oculos quidem; sed valetudinem primo, ac vitam deinceps amisit. Cum enim restitutus in melius afflictæ Poloniae rebus, fufis, fugatisq; & in sua spelæa reuersis Regnorum Prædonibus, Cracouia, Regni religionis, literarumq; caput, Serenissimi Regis ductu & auspicijs obsideri capta esset, Fortissimo Principi, cui nunquam non aderat adfuit cum quoq; animo, virtute, labore, constantiā planè admirabili; atque ita Nobilissimo huic operi, in quo salus Publicæ ingens momentum erat, incubuit; vt ob curarum molē, & indefessum studium valetudine consumpta, receptaq; Vrbe Regni Primariā, ipse quoque in lectulum diuturnæ infirmitatis sese receperit. Quid hic dicam de eius infracto, inter angores, & molestias lethalis morbi animo? Quid de illā voluntatis suæ in manus diuinas perfectissima oblatione? de læto semper hilarique vultu, quem illi internum ex recte factorum conscientia, & vitæ integritate, componebat gaudium? Quid de illo rerum humanarum, & vitæ transitoriae contemptu, quo se ad excipiendam mortis necessitatem comparabat? Dici enim vix potest quā heroicè verè Christianus heros hic, in ætate floridā, vix quadragenario Maior, in medio maximæ fortunæ, & gloriæ cursu, & quanto cum Christianæ pietatis sensu, vitæ, & Patriæ valedixerit; atque id quidem eo die, quo anno ab hinc, Magnus ille Patriæ Amator, & Zelator, Antistitum decus, norma, & gloria, PETRVS GEMBICK, Episcopus Cracouien' ad immortalia translatus erat; altissimā nimirum Summi Numinis Prouidentia res ita, & tempora dispensante, vt qui in vitā coniunctissimi fuere, salutemq; publicam fide incorruptā, pectore candido, ardentissimo & constanti studio procurauere; iidē Zelantissimi Patriæ, amboque plane Seraphici Viri, eodem Seraphici Doctoris D. BONAVENTVRÆ festo, terris ad cælestia euocarentur; in eo quoque non dissimiles, quod vt ille extra Patræ ifines; ita hic in aliena VISEMBERGIANA nēpe Domo, terras reliquerit, ceu Orbi Vniuerso testatum esse velent, nihil sibi dulcius, nihil felicius contingere potuisse, quā

E

Upro

si pro patriæ integritate non alienis tantum in terris; sed alienis quoq; in manibus, inq; sanguine proprio occumbere sibi licuisset. Sisto hic calamum, ubi vehementissimi affectus, & Suadae, quantumuis maximæ obmutescunt. Cum enim inæstimabilem Viri maximi jacturam mecum recogito, præceps in vastam quandam doloris voraginem agi videor, vixq; mihi ipsi constare. Quid enim in hoc Summate non maximum fuit, in quo vetustissimum STARZARVM genus, Senatoriæ purpuræ Sellarumq; Curilium splendore illustrissimum. eruditio singularis, eloquentia incomparabilis, prudentia maxima, fides incorrupta, candoris, veritatis, & boni Publici amor summus, admirabilis cōstātia, virtutū, honorū & meritorū āplitudo, verbo dicam, summe virtus, summoq; fortuna ad miraculū vsq; effulsere; Pietas vero quanta fuerit, cum vita tota, & mors Pientissima, tum in Sacratissimam Cœlorum Reginam, Virginem DEI Matrem MARIAM, tenerrimus affectus, & pia Liberalitas; in Diuū quoq; STEPHANVM Protomartyrem, & Basilicam eius sumptuosissime restaurandam, & dotandam piissimo affectu effusæ opes restantur. Atq; hic iterum sisto suadā quantumuis reluctantem. Nam licet verè dolentium sensus non sit, qui in verba periodosq; componi potest; hic tamen desinere tam difficile est; quàm alibi non cessare. Sit itaq; Augustum hoc Mausoleum, Triumphatæ mortis spodium, ad aptæ Immortalitatis Indiciū: sit in eo Magnus CANCELLARIUS Noster, anteacti sæculi Compendium, & sui præsentis delictum, sequentis exemplum. Sit PRINCIPIS amor, Patriæ Ocellus, Senatus gloria, Suadæ medulla, Asciae splendor, stirpis KORYCINIÆ Flos illibatus. Sit hæc moles publicum virtutum, & meritorum eius instrumentum; cui ad Maiorem sequentium sæculorum fidem, & venerationem conciliandam, suum Princeps, Patria, Senatus, Ascia, Suada, Orbis deniq; totus imprimat Sigillum.

D I X I

